Admodum R[di] D[ni].

16 Febr. 1590.

Singulari quadam cupiditate, et desiderio R[dus] D[nus] Joannes Worainski, gen[lis] Auditor meus et confr[ater] R[dar]um D.V. semper tenebatur, ut residentiae 30. dierum, quod eius muneris est, satisfacere posset, meq[ue] aliquoties eam ob causam precibus interpellauit. quia uero non tam mea, quam S[ctae] Sedis Ap[licae] et huius nobilissimi regni continua neg[oti]a, et occupationes eum ita detinent, et premunt, ut ei omnem prorsus id faciendi facultatem eripiant; praecipue uero cum his occupationibus futura comitia, et Visitatio omniu[m] Monasterioru[m] huius nobiliss[imi] regni ex comissione S. D. N. facienda cumulum addant. Ideo R[das] D.V. rogaui, et rogo, ut super praedicta 30. dieru[m] residentia cu[m] eodem R[do] D. Joa[n]ne Worainski dispensent, maxime ob tam graues, et urgentes ca[usa]s, quae in exemplum trahi, aut aliquod praeiudiciu[m] Ecclesiae R[dar]um D.V. creare, aut afferre nec possunt, nec debent. Nec ego a R. D. V[r]is hoc petijssem, nisi — tam graues, et publicae causae me incitassent, quales uix aliquis alius in mediu[m] afferre, aut allegare potuit, aut poterit. Nec eam ob ca[usa]m id feci, ut hac mea comendatione, et R[da] D. Vrarum dispensatione, Ecclesiae istius de 30. dierum residentia antiquissimae consuetudini, et statutis aliquod, quod absit, praeiudiciu[m] generetur. Jmo R[dis] D.V. hisce praesentibus neminem deinceps hanc meam comendationem, et R[dar]um D.V. dispensationem in simili facto in exemplum adducere posse, aut debere non solum caueo, uerumet me in posteru[m] pro alijs simile a R. D. V[r]is nunquam petiturum promitto. R[das] quoque D.V. tam p[rae]ntes, quam futuras in D[omi]no hortor, et moneo, ne hanc meam comendatione[m], aut R[dae] D. Vrarum dispensationem in futuru[m] in exemplum adducant, sed iura, statuta, et antiquissimas istius Ecc[lesi]ae de 30. dierum residentia consuetudines sartas, et illaesas conseruare studeant. quarum me beneuolentiae commendo, easq[ue] in D[omi]no diu bene ualere cupio. Varsauiae, xvi. Februarij MDXC.

D. Vrarum admodu[m] R[dar]u[m]

Vt Fr amant[issimu]s

A. Archie[pisco]p[u]s Neap[olitan]us

30

Admodū Rdis Dnis Canonicis, et Capitulo
Cathedralis Eccae Varmiens. uti fribus
Colendmis
Eorum.

Reddita 1 Martij Ao 90
Contra dispensationem a [illegible]
[illegible] Joanni
Worinsky concessa, quod [illegible]
[illegible]

Cũ
Varmiam